

Jacob Friedrich Roennberg

**Programma, Qvo Praemissa Brevi Commentatione De Magnitvdine Miracvlorum,  
Et Evicta Propositione, Qvod Certitvdo Miracvli Sit In Ratione Directa  
Magnitvdinis Miracvli, Illvstri Dom. Davidi Hvme Opposita : Ad Festvm  
Pentecostes Pie Celebrandvm Cives Academiae O. O. Honoratissimos  
Officiosissime Hortatvr**


Rostochii: Litteris Adlerianis, [1773?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87772153X>

Druck Freier  Zugang









T. 512.

1773. Pfingsten.

~~M-1256.~~ <sup>411.</sup>



Ms. 1773.

PROGRAMMA.

QVO.

PRAEMISSA BREVI COMMENTATIONE

DE

MAGNITVDINE MIRACVLORVM,

ET EVICTA PROPOSITIONE,

QVOD CERTITVDO MIRACVLI SIT IN RATIONE

DIRECTA MAGNITVDINIS

MIRACVLI,

*ILLVSTRI DOM. DAVIDI HVME*

OPPOSITA,

AD FESTVM PENTECOSTES

PIE CELEBRANDVM

CIVES ACADEMIAE O. O. HONORATISSIMOS

OFFICIOSISSIME

HORTATVR

RECTOR ACADEMIAE HODIERNVS

IACOBVS FRIDERICVS ROENNBURG,

IVR. DOCTOR ET PROFESSOR MORALIVM PVBL. ORDINARIVS

NEC NON SOCIETATIS SCIENTIARVM, QVAE FRANCOFV

AD VIADRVM FLORET, ASSESSOR.



ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

M. 1256 411.



PROGRAMMA

PHARMACIAE BREVIS COMMENTARIVS

DE

MAGNITUDE MIRACULORVM

QVOD CERTIVM MIRACVLVM RATIONE

DIRIGIT A MAGNITVDE

MIRACVLI

MANSTRIS DOM. DANIELI WERNER

OPUSCULVM

AD FESTVM PENTECOSTES

PER CHRISTIANVM

QVONDAM ACADEMIAE O. HONORABILISSIMAE

PHYSICAE

RECTOR ACADEMIAE HONORABILISSIMVS

JACOBVS FRIBERICVS BACHMANN

PH. DOCTOR ET MAGISTRVS HONORABILISSIMVS O. S. P. S. S. S.

PHYSICAE ACADEMIAE HONORABILISSIMAE O. HONORABILISSIMAE

AD VIGILIAM PENTECOSTES




ROSTOCKI

LIT. TIBL. AD. 1711

Handwritten numbers and markings at the bottom right.





Quotiescunque diuinam eam virtutem contem-  
platus sum, Viri omnium ordinum hono-  
ratissimi, Commilitones aestumatissimi, quam  
sanctissima, hodie nobis celebranda, *Pente-  
costes* festa dies in memoriam homini chri-  
stiano reuocat, toties eius miraculi magni-  
tudinem, quo se omnibus christianis ea con-  
spicua praestitit, miratus sum vehementer : magnitudinem  
eius miraculi, inquam, quod, post illud ex nihilo creationis  
huius vniuersi miraculum, quod, post illud incarnationis *Iesu Chri-  
sti* eiusque gloriosae triumphalisque resurrectionis miraculum,  
prorsus est incomparabile, et summa sua magnitudine a reliquis,  
quotquot numerari queunt, differt longissime. Vrbs stupet  
Hierosolymitana : mirantur, qui oculis intuentur, qui auribus  
effectus eius percipiunt : non vna alteraue persona, sed gentes,  
nationes, diuersissimae, ex prouinciis, terris, regionibusque, lon-  
gissimo itineris tractu a se inuicem maxime remotis, ad ce-  
lebrandum festum hebdomadam Hierosolymis congregatae :  
nec mirabundi stupentesque, quid statuendum sit, in suspenso  
tenent animum : minime ! virtute diuina confirmatam verita-  
tem sentiunt, et, missis opinionibus praeeconceptis, poenitentes  
adsunt, acceptantes gratiam euangelicam per *Iesum Christum*  
acquisitam, quem, paucis ante hebdomadibus, cruci affixum scie-  
bant



bant, gratiam inquam euangelicam, effusione *Spiritus Sancti* in Apostolos, postquam *mundi Saluator* gloriose resuscitatus, atque ad dextram *Dei Patris* in coelum euectus erat, diuinitus confirmatam. —

Hanc huius summi miraculi rationem meditans, Ciues O. O. H. in memoriam mihi succurrebat Viri illius celeberrimi *Davidis Hume* principium quoddam, quo, in aliis scientiarum generibus, acutissimus Vir in *Tentamine de miraculis* (*Essai sur les miracles*) vsus est, quo, probabilitatem miraculorum magnitudine *minui*, censer. Nemo, qui *cogitata Humiana*, dicto libro expressa, legit, dubitare potest, sententiam Viri doctissimi ab eo, terminis e scholis Arithmeti-  
corum desumptis, ita expressam, *probabilitatem euentus esse in ratione inuersa magnitudinis miraculi, esse hanc: Tanto minori gaudet euentus miraculosus probabilitate, quanto maius est, per quod existit, miraculum. — Tanto maiori euentus gaudet probabilitate, quanto minus est, quo existentiam nanciscitur, miraculum.* Sic, sic se habet *Philosophi* illius sententia. Et ego? hanc opinionem quam maxime esse fallacem arbitror ex opposito nempe statuens: *Tanto euentus miraculosi maiorem esse certitudinem, quanto maius est, per quod existentiam habet, miraculum.* Duo sunt, *Ciues optimi*, quae quisquis rationabilis et aequus rerum arbiter in sententia *Humiana* desiderabit. Primum, quod cognitionis euentuum ex cursu naturae deriuandorum certitudinem longe ultra limites suos eleuat. *Alterum* quod magnitudines miraculorum aestimare sibi sumit: at nec vllum quidem principium exhibet, eius magnitudinis vel diuidicandae in se, vel cum magnitudine alius miraculi comparandae. Posterius quemadmodum, vt pace viri celeberrimi dicam, in sentiendo temeritatem, in iudicando, sine suppositis ideis, vanitatem, in decidendo, adhibitis nullis principiis, futilitatem philosopho indignam prodit; ita prius animum ostendit praesumptionibus plenissimum, et hoc tantillum certitudinis, quod, quoad generalia euentuum naturalium cognitio humana, si diis placet, habet, ad singularium euentuum cognitionem nimis audacter adplicantem.

Diu



Diu enim, diu inter mortales improbanda obtinet consuetudo, quidquid in orbe sensus percipit, ad cursum naturæ referendi, et ita referendi, vt ex mundi machina, legibus physicis, necessitate physica, productum aestimetur, nullo, ad gubernatorem vniuersi, etiam hodie in actu gubernandi constitutum, habito respectu. Ita fere philosophamur christiani de rebus naturalibus, atque Ethnicus de fato, fatali necessitate, nexu rerum immutabili, casu coeco, fortuna, atque infortunio. — Imo sunt, qui hoc demum perfectum opus vniuersi esse sibi imaginantur, quod euentus suos, postquam semel existens factum, ita per se, ex se, ex suis viribus, ex sua machina, ex suis nexibus, ponderibus, catenis, spiribus, pinnulis, producat omnes, iisdem vbique legibus, siue, vt *Hume* placet, vt *cursum naturæ semper idem, sibi similis, quin imo in effectibus aequalis, sit*, ita vniiformiter producat necessario, vt manu primi creatoris in toto vniuerso omnino non amplius opus sit. — Illustrant hocce principium fabro horologiorum, perfecta semel machina, curam operis sui, ex se effectus producentis, postea habente nullam. Faceffat tandem a philosophis veri nominis et iis praecipue, quorum rationem *Reuelationis* cultura ad fastigium extulit sublimius, quam quod ab Ethnicis impetrari potuit, faceffat tandem, inquam, ista indigna de Deo, de vniuerso Dei opere, cogitatio, quae, vt fabri horologiorum imperfectionem, qua materiam ex qua machina est condita, ejusque leges et naturam existentem, impotentes mutare non potest, manifesto loquitur, ita, insulsa ratione ad vniuersum, atque ad Deum vniuersi Creatorem Gubernatoremque adplicatur. Ea autem falsa idea, quae cum concursu diuino generali ne vix quidem, cum specialiori omnino non, consistit, ea, inquam, sublata; adfit nunc Dominus *Hume* et explicet euentus omnes et singulos, quos in vniuerso sensibus percipit, cum suis singularibus circumstantiis omnibus, adfit, inquam, et enodare studeat, ea cuncta, quae mundus adspectabilis habet, ex legibus vniiformibus vniiformis naturæ. Profecto, vt semel coeperit vnius euentus exegefin, statim intelliget, se proficere posse nihil —. Doceat, quo fiat, vt idem euentus hoc anno sit, alio non sit, in eadem prouincia locum



habeat alicubi, in loco proximo non habeat : et diuersitatem naturae magis an vniformem eius faciem mirari debeat, haerebit dubius, atque, confitendum sibi esse, sentiet, se de euentibus naturae, vt sunt, id est, cum omnimoda sua determinatione, vt in indiuiduo singuli existunt, spectatis, minus nihilo scire, quo vsque ad dirigentem omnia omnipotentis Creatoris, Conseruatoris, Gubernatoris prouidi, et specialiter ad effectus concurrentis, manum non respicit. Ea autem admissa explicet nunc porro, quisnam euentus vniuersi spectabilis ab hac Dei operantis, dirigentis, permittentis, limitantis, punientis, castigantis, et probis bene dicentis manu, quis cum suis indiuiduis determinationibus non ab ea operatione Dei, sed, solo supposito concursu generali, a naturae machina, ex se sola spectata, deriuandus sit. Et iterum arbitror intelliget Vir celeberrimus, se cum certitudine in paucissimis dicere posse, quis et quoysque euentus sit mere naturalis, quis et quoysque ab operatione Dei speciali pendens. Gloria illa itaque de certitudine humanae cognitionis, circa euentus naturales tandem resoluetur in nihilum, si quaestio sit de iis, vt nunc, vt hoc tempore, hoc loco, ita, non aliter, existentibus, adeoque vt naturalibus. Dabo exemplum: Explicet velim anglicanus philosophus, quae relata legit Leu. 25. v. 20 21, explicet ea ex legibus naturae *vniformiter* agentis, ex cursu naturae semper eodem! numquid hoc natura iubet, vt anno sexto post agrationem primam, atque deinde anno quouis septimo, tanta sit messis abundantia, quae incolis per tres annos nutriendis sufficiat: num id ex vniformi natura et consecutione naturali euentuum, sibi semper simili, vel aequali, explicabit? numquid res ita quoque ferebat tempore Cananaeorum ante Mosen, num quid eodem modo etiam hodie inter Muhammedis asseclas? Vbinam ergo eadem ista euentuum naturalium facies? Anne vero magis plana, magis euentibus conformis, est sententia, quae Deum, gubernatorem vniuersi, nunc aliter determinare naturae vires, nunc alios status inducere substantiis, nunc aliis aptos reddere modificationibus et effectibus, quam producturae istae ex se tanquam machinis, fuissent, prouti finibus diuinis, vel bonitatem specialem, vel castigationem proborum, vel poenas improborum,



proborum, praestituris, conforme erat? Nonne dependentiae a Deo nostrae, et vniuersi, magis ista idea conuenit? Nonne magis ea nostram pietatem, fiduciam in Deum, ardorem in cultu, Deo prouido, nostram curam gerenti, praestando excitat? Sublata autem ista superbientis Philosophi, sibi soli sapientis, falsa idea de mundi machina ex se sola omnes euentus adspectabiles producente, vbinam, quaeso, firmam pedem figet praesumptio Philosophi de certitudine euentuum naturalium, nisi in solis quibusdam generalibus, quae ad possibilitatem ditionem referenda sunt? Sileat itaque Philosophia de ingenti illa, quam ingenium praesumptionibus occupatum sibi effinxerat, rerum naturalium euentuumque cursus naturae, quoad indiuiduam rationem, certitudine. Haec itaque inter christianos inconcussa maneat veritas, Deum, creando vniuersum, vires rerum creaturarum suis circumscripsisse limitibus, neququam suae vi omnipotenti posuisse terminos, vt ipse, pro sua voluntate optima, in creaturas benigna, in probos amica, in fideles largissima atque infinite gratiosa, non possit, non debeat, in euentibus naturalibus quidquam mutare, leges naturae suspendere, consecutionem aliter ordinare, et producere, quae in maiorem mundi perfectionem, maioremque sui nominis illustrationem faciant, quam ea, quae ex nexu euentuum mere naturalium consecutura essent. Haec est Philosophia Christianis digna, et in Theologia naturali, sic et reuelata, omnino confirmata. Haec non euinco eo, vt negem, vllibi esse opera naturae, quae, esse opera naturae, demonstrari possit; quod sane negare, alterum futurum esset extremum. Hoc volo, *ne* ab operibus naturae excludatur Deus; *ne* per concessas vires, leges, ordines, consecutiones naturae, tollatur virtus Dei miraculosa in iis dirigendis, determinandis, et pro voluntate sua, semper optima volente, mutandis, tandemque *ne* superbientes nobis imaginemur, tantam esse nostram de euentibus naturalibus scientiam, certitudinem, quae vel superiores non admittat gradus, vel saltem tantam, vt de miraculis, quae in scriptura sacra docentur, non possit haberi eiusdem gradus certitudo.

Nimi-



Nimirum hoc erat vitium, in quod Dominus *David Hume*, caeteroquin inter Anglos Philosophus optime meritis, incurrisse deprehendet, qui legerit. Cum tamen istam de eventibus naturalibus certitudinem in experientia fundatam vult; ne in vitium subreptionis incidat, sibi caueat ipse, quod quoties ab obseruatoribus et experimentatoribus factum sit, abunde testantur acta virorum eruditorum: deinde, si volet inquirere, quantus sit numerus euentuum naturalium, quos propria experientia cognouit; admodum arbitror exiguum deprehendet, plurimorum autem cognitionem sentiet sibi euenisse a testibus Physiologis, Cosmologis, Dendrologis, Botanologis, Hydrologis, Meteorologis, aliisque plurimis. Videat ergo quaenam tandem futura sit sua de euentibus naturalibus tantopere laudata certitudo, postquam testimoniorum fidem labefactauit: quamuis nostram causam, quoad miracula in Scriptura sacra nuncupata, quae testimoniis humanis opponit Vir, a fallaci hominum ingenio deriuata, neutiquam feriant. Verum isthaec, non nisi dicta volo praeliminariter, quia circa alterum, quod supra nuncupauit, a Viro alias acutissimo *Dauid Hume* neglectum principium potius versandum constitui.

Nimirum oppositurus Viro Doctissimo meam propositionem, atque demonstraturus, quod ex magnitudine miraculi eius certitudo maior pateat, nolo, vt ille anglicanus, sine principiis laborare, atque hinc, antequam ipsam propositionem euincam, in notionem magnitudinis miraculorum paucis inquirere volo. Quod meum propositum dum suscipio exsequendum, optime mihi conscius sum, finitum intellectum circa opera infiniti Numinis versantem, potius mirandam sentire magnitudinem eorum, quam definiendam — At tamen periculum faciam — Magnitudinem praedico miraculorum non quantitatem, quae est magnitudo determinata, limitata, finibus, terminisque, circumscripta suis. Hanc in operibus infiniti Numinis non inueniat intellectus finitus, ne dicam mortaliū, vllus. Illam tamen intelligere, sentire, de ea gaudere, summamque ex ea capere voluptatem, omnino est, quod philosophum decet christianorum imbutum principiis. Effestuum



9

Etuum itaque supernaturalium, siue miraculorum, magnitudinem aestimaturus, eam diiudicaturus est, vel ex principio, vel ex formali ratione, vel ex obiecto, vel ex effectu, vel ex fine. Principium miraculorum est *solus Deus*, idemque, tanquam ex effectu causa efficiens, ex miraculo cognoscendus. Hoc supposito, aliquot characteres magnitudinis miraculi se nobis offerunt. I. Quo plura in euentu aliquo praesto sunt immediate operantis infinitae virtutis specimina, eo maius, sine dubio, dicendum est miraculum. Vnum enim quoduis ex his euincere miraculum, dubitari nequit; nunc ex partium multitudine concipitur magnitudo; adeoque quo plura sunt ista specimina in vno euentu, eo plura eidem inesse miracula partialia, negandum non est, hinc *totum esse maius* denuo confisendum. Ex hoc colligo II. Quo magis distincte Deus in miraculo cognoscendus est, tanquam euentus causa; eo maius erit miraculum. Concludo III. Quo magis distincte vel vna Deitatis persona, vel duae personae, vel tres indiuiduae Trinitatis personae, in euentu miraculoso cognoscendae sunt, tanquam euentus causa, eo maius erit miraculum. Dabimus circa horum magnitudinis miraculi characterum expositionem, aliqua, rem vltius illustratura. Et, quantum ad *primum* attinet, velim obseruetis Ciues omnium ordinum honoratissimi, obseruetis velim, cognitos fuisse partim Prophetis, partim Patriarchis, partim toti populo ecclesiae veteris testamenti, certos characteres, ex quibus Dei immediate loquentis et operantis praesentiam, indubitata certitudine cognoscere potuerunt, atque cognouerunt, partim sensu externo, partim sensu interno, perceptos. Exempla habemus in voce *ab Adamo* audita; in nube, gloriosae praesentiae diuinae simbolo; in responso per *Vrim et Thummim*; in magnifico et terribili apparatu promulgationem legis annunciante. Referri huc suo iure possunt, ab ipsis aduersariis Dei, cognita eius diuinae virtutis operantis specimina, quo, vt de miraculis in Aegypto praestitis iam nihil dicam, in quibus toties repetita est Pharaonis et populi aegyptiaci confessio diuinae virtutis, pertinent, quae leguntur I Sam. 5, 7. 10. Atque horum exemplorum plurima simul pertinent ad illustrandum characterem

B

*secundum;*



*secundum*: cui atque etiam *tertio* characteri speciatim declarando maxime inferuiunt isti euentus miraculosi, qui leguntur in descriptione baptismi Christi, quibusque ipse, tanquam filius Dei, et mundi redemptor, publice declaratus est. Atque isti quidem sunt characteres magnitudinis miraculi, quos primi eorum cognoscendi principii, nimirum ipsius miraculorum fontis, ipsius causae eorum, Dei, consideratio nobis suppeditat.

Videamus nunc *secundo* de formali ratione miraculi. Forma miraculi in ipsa operatione diuina, in modo operandi diuino, in speciali actus diuini determinatione, ponenda est, sine dubio. Et sic canones magnitudinis miraculorum concipiendae habentur. IV. Quo plures actus diuinae potentiae immediate operantis concurrunt in vno euentu, eo maius est miraculum. V. Quo plures actus speciales diuersi virtutis diuinae immediate operantis in vno euentu totali obuii sunt, eo maius est miraculum. Horum characterum exemplum praestabit magnum illud, quod hodie celebramus, *effusionis Spiritus Sancti miraculum*. In eodem enim conspicui sunt ex effectibus omnino diuersis actus speciales diuini plurimi; *actus* quo existens factus est fons e coelo oriens, implens domum, in qua Apostoli erant, Diuini Patris exspectantes promissionem; *actus* quo productae sunt in apostolis adspectabiles flammulae igneae diuisis similes linguis; *actus*, quo producta est qualitas interna mentis, quae requiritur ad linguarum scientiam quas studio atque arte non didicerant; *actus* denique, quo promptitudo in motibus organorum loquelae excitabatur, ad prompte loquendum eas linguas necessaria, apostolis concessa est. Ordinem superius constitutum *secuturo tertio* consideratio obiectorum suggerit characterem magnitudinis miraculi sequentem. VI. Quo maior est numerus obiectorum, quae actu miraculoso supernaturaliter mutantur, aut modificantur, eo maius est miraculum. Potest enim in quouis obiecto productus euentus tanquam ex actu suo productus concipi, consequenter actus totus tanquam aggregatum ex tot actibus spectari, quot pro numero obiectorum concipi possunt. Atque VII. Idem tanto magis valet, cum obiectorum diuersitas, diuersitatem in euentu, hinc in actu, euentum

tum



tum producente, concipiendam sistit. *Quarto*: ex consideratione effectus seu euentus, qui per miraculum exiit, sequuntur canones, magnitudinis miraculi concipiendae characterem exprimentes. VIII. Quo plures effectus, siue obiecta producta, ex actu miraculoso concipiuntur, eo maius est miraculum. IX. Idem tanto magis valet, cum effectus qui supernaturaliter existentiam nanciscuntur, plurimi illi, generibus atque speciebus longissime diuersi sunt. Canones isti duo, quos recens, exempla sua habent; tum in miraculo primigenio; creationis, tum in alio miraculo primigenio, quo, diuinitus facta maledictione telluris, propter homines lapsos peccatores, mundus ita mutatus est, prouti hominibus lapsis erat conforme. Quod posterius quidem velim, vt attentiori mente contemplantur, sibi que ad oculos ponant philosophi, ratione per reuelationem eleuata vtentes, in explicandis malorum physicorum originibus magno futurum vsui. Habentur porro canonum miraculorum magnitudinem demonstrantium exempla in effectibus humanae Redemptoris naturae ab vnione personali filii Dei deriuandis, quorum, profecto, innumera est multitudo ex hac personali vnione deriuanda. Habentur quoque exempla documentaque in *effusione Spiritus Sancti* super Apostolos discipulosque *Christi*. *Quinto*, contemplatio finis miraculorum novos exhibebit diiudicandae eorum magnitudinis characteres. Finem miraculorum docent philosophi duplicem eundemque coniunctum; scilicet, maior illustratio gloriae diuinae, quam cursu naturae solo obtineri poterat, atque maior perfectio vniuersi, quam sine miraculo futura fuisset. Ex eo itaque duplici fine sequuntur characteres sequentes. X. Quo maior est illustratio gloriae diuinae, per naturae operationes obtentu non possibilis, eo maius est miraculum. Eam propositionem ex reciproca eius veritate indubitato euictam dabit, quicumque demonstrationum ex propositionum reciprocatione deriuandarum nexus inuenire per principia logica poterit. XI. Quo maior est perfectio mundi, hinc quo plures sunt perfectiones partiales, concurrentes in vnam totam perfectiorem mundi, ex euentu aliquo, per vires mundi non obtinendo, resultantes, eo maius est miraculum. Adde denique vltimum magnitudinis



tudinis miraculi characterem : XII. Quo plures ex his haec-  
 tenus euolutis magnitudinis miraculorum characteribus concu-  
 runt in vno eodemque euentu, per vires mundi non obtinen-  
 do, eo maius esse miraculum dubitauerit nemo. —  
 Sufficiant ista hodie nobis, Ciues optimi commilitones sua-  
 uiffimi, sufficiant ista hodie nobis. Ex his vero haec tenus euo-  
 lutis, nunc planissima habetur via, ad eam, quam Illustri *Hume*  
 oppono propositionem. Quodsi enim quisquis ex omnibus  
 adductis characteribus certitudinem inuoluit de eo, quod euen-  
 tus aliquis sit miraculum; sane non modo probabilitas de eo,  
 quod euentus aliquis sit miraculum, verum indubitata certitu-  
 do, euentum aliquem esse miraculum, crescit pro numero eius-  
 dem characteris, duplicata, triplicata, quadruplicata ratione  
 posito. Idemque manifestum cuius fieri per inductionem cu-  
 iusuis veri miraculi. Dabo tamen vtriusque huius inductionis  
 exempla. *Primo* sumatur, quem primo loco (n. I.) posui, cha-  
 racter. Quodlibet specimen operationis diuinae immedia-  
 tae est, quod certitudinem miraculi praestat; duplicato, tripli-  
 cato, quadruplicato, ergo specimine, duplex, triplex, quadru-  
 plex, erit de veritate miraculi certitudo. Sumatis exemplum  
 si placet, *Ciues optimi*, sumatis exemplum, si placet, immedia-  
 tae, hinc miraculosae, vocationis diuinae, qua *Moses* dux *populi*  
*Israelitici* constitutus est. Specimen *primum* erat, rubus ardens  
 igne non consumtus: idemque iam erat multiplex specimen,  
 quousque euentus ad quamuis rubi. partem refertur, vnde ex  
 hoc solo specimine viso, *Moses* iam, et iure optimo, vocat  
*magnam visionem*. Specimen *secundum* erat, vox ex igne audita,  
*Mosen* alloquens. Specimen *tertium* reuelatio *Mosi* data, atque  
 ad liberationem populi eius, tanquam ducis, vocatio. Specimen  
*quartum* praedictio rei futurae soli Deo perspectae. Specimen  
*quintum* specialis Divina instructio de iis quae *Mosi* agenda erant.  
 Specimen *sextum* quadruplex speciale miraculum occasione hac  
 praestitum. Specimen *septimum* promissio de aliis miracu-  
 lis *Mosi* concedendis, fundatio fidei *Mosis* miraculosae.

*Secundo* sumatis velim, Ciues Honoratissimi aequae ac opti-  
 mi, sumatis velim characterem quem supra posui (n. 5.) Et  
 quae



quae ibi dicta sunt iam dabunt demonstrationem tum ex allato exemplo, tum ex ipso canonis tenore, concipiendam. Namque quilibet actus est miraculum, *subiectiue* spectatum, et de eo, quod in euentu habeatur miraculum *objectiue* spectatum, certitudinem praestat cognoscenti. Quare non potest non pro numero actuum crescere certitudo de diuina miraculosa effusione *Spiritus Sancti*.

Eodem modo *tertio* habenda cum iis, quae dicta sunt (n. VIII. et IX.). Et facillimo negotio nunc ad quemuis alium productum magnitudinis miraculi characterem habebitur applicatio. Vnde, quod pro magnitudine miraculi siue subiectiue, siue objectiue spectati crescat non probabilitas modo, verum a dubiis omnibus exempta certitudo de miraculo atque de eo, quod aliquis euentus sit miraculum, est in confesso. Ea vero est ipsa, quam demonstrandam sumsi, propositio. Eademque cuius, non modo falsam praestat Illustr. *Davidis Hume* propositionem, verum infallibiliter quoque stabilitam exhibet, si terminis a Mathematicorum rationibus desumptis propositio exprimenda sit, meam: *Probabilitatem seu potius certitudinem euentus miraculosi esse in ratione directa magnitudinis miraculi*. Sane, cum in omni magnitudine rei determinatae cuiuscunque res ipsa supponenda sit: et hinc, ex magnitudine rei, rem certo locum habere, iudicandum sit; dubium aliquoties tenui animum, qui fieri potuerit, ut Vir, cui ingenium sublime non negauerit quisquam, inciderit in falsas sententias: maxime, cum et ipsa miracula se non negare sedulo inculcet, et nemo dubitauerit, quo maior est hominis eruditio eo maiorem esse de eius eruditione certitudinem; quo maior est campus prouinciae, vel turris, vel domus, eo maiorem esse de campi, turris, domusque existentia certitudinem.

Verum, postquam attentius rem perlustravi, fundamentum erroris *Humiani*, perspexisse mihi videor, obuium vel in male intellecta, vel pessime applicata, vel in deterrimum abusum adhibita propositione, Philosophis in doctrina de miraculis familiari, hac nempe, *Deum in miraculis*



culis praestandis naturae cursum tantum admittere, quantum fieri potest. Exinde nunc Vir doctissimus David Hume, pro ingenio suo, concludit: enim vero: quo magis natura admittitur, eo minus ponitur miraculi, atque sic, aliquot admissis saltibus, prona erat via ad propositionem: quo minus est miraculum, eo maior probabilitas eventus miraculosi. At vero illa prior propositio, ut in se quam maxime vera sit, tamen non potest esse nobis principium cognoscendi, ex quo de existentia vel de certitudine vel de probabilitate eventus miraculosi iudicium ferre possimus aut debeamus. Nam ea propositio loquitur de eo, quod respectu miraculi est extraessentiale et accidentale ex quo de essentiali perperam fertur iudicium. In quantum porro in constituendo eventu miraculoso vires naturae admittendae sint, id neque nostrum est iudicare atque determinare, neque per vires nostras id colligendo eruere possumus, quia quodvis miraculum eventus est, cuius tota existentia, tota extensio, intensioque, magnitudo denique tota, a solo arbitrio divino pender. Quovsque itaque in miraculo, supposita eius tota constitutione, ambitu toto, naturae cursus locum habuerit, et habere debuerit, de eo non nisi a posteriore ferre iudicium possumus: neutiquam autem a priori. Minime enim gentium tenue nostrum de viribus naturae, de finibus Dei in iis suspendendis, mutandis, iudicium, pro principio cognoscendi vel existentiam, vel probabilitatem, vel certitudinem veri miraculi sumere possumus, adeoque nec possumus iudicare in supposito aliquo miraculo solummodo in tantum, non plus, non minus, a cursu naturae debuisse recedi: consequenter nec iudicare, quod supposito aliquo miraculo, magis a naturae legibus discessum sit, quam debuerit, quod hinc suppositum miraculum non sit probabile: ideoque nec normam constituere possumus nos minoritatem miraculi eiusque probabilitatem aestimandi. Quae quidem adeo sunt perspicua, ut cuius, Philosophemata de miraculis iusta lance pensituro, debeant esse obuia. Verum sufficiant isthaec hodie nobis.

At




---

*At Tu Pater omnipotens , at Tu Numen benignissimum adsis,  
enixe rogo , adsis nobis omnibus. Da nobis dona tua spiritualia,  
et reple animam nostram spiritu tuo sanctissimo , ut sensationes no-  
strae , cogitationes , omnesque animi affectus , sic et nos ipsi , Tibi  
Toti consecrati maneamus : ut sic Spiritu Sancto edocti , officia , Tibi,  
Deo Trinuno , Principi nostro Regnanti clementissimo , Patriae  
nostrae , nobis ipsis debita , eo perfectiori modo praestemus.*

---

P. P.

SVB SIGILLO RECTORALI,  
FERIA PENTECOSTES PRIMA,  
MDCCLXXIII.







Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.











tum producente, concipiendam fistit. *Quarto*: ex consideratione effectus seu euentus, qui per miraculum exhibit, sequuntur canones, magnitudinis miraculi concipiendae characterem exprimentes. VIII. Quo plures effectus, siue obiecta producta, ex actu miraculoso concipiuntur, eo maius est miraculum. IX. Idem tanto magis valet, cum effectus qui supernaturaliter existentiam nanciscuntur, plurimi illi, generibus atque speciebus longissime diuersi sunt. Canones isti duo, quos recensus, exempla sua habent; tum in miraculo primigenio; creationis, tum in alio miraculo primigenio, quo, diuinitus facta maledictione telluris, propter homines lapsos peccatores, mundus ita mutatus est, prouti hominibus lapsis erat conforme. Quod posterius quidem velim, vt attentiori mente contemplantur, sibi que ad oculos ponant philosophi, ratione per reuelationem eleuata vrentes, in explicandis malorum physicorum originibus magno futurum vsui. Habentur porro canonum miraculorum magnitudinem demonstrantium exempla in effectibus humanae Redemptoris naturae ab vnione personali filii Dei deriuandis, quorum, profecto, innumera est multitudo ex hac personali vnione deriuanda. Habentur quoque exempla documentaque in *effusione Spiritus Sancti* super Apostolos discipulosque *Christi*. *Quinto*, contemplatio finis miraculorum novos exhibebit diiudicandae eorum magnitudinis characteres. Finem miraculorum docent philosophi duplicem eundemque coniunctum; scilicet, maior illustratio gloriae diuinae, quam cursu naturae solo obtineri poterat, atque maior perfectio vniuersi, quam sine miraculo futura fuisset. Ex eo itaque duplici fine sequuntur characteres sequentes. X. Quo maior est illustratio gloriae diuinae, per naturae operatione obtentu non possibilis, eo maius est miraculum. Eam propositionem ex reciproca eius veritate indubitato euictam dabit, quicumque demonstrationum ex propositionum reciprocatione deriuandarum nexus inuenire per principia logica poterit. XI. Quo maior est perfectio mundi, hinc quo plures sunt perfectiones partiales, concurrentes in vnam totam perfectiorem mundi, ex euentu aliquo, per vires mundi non obtinendo, resultantes, eo maius est miraculum. Adde denique vltimum magnitudinis

B 2

tudinis

